RUPERTUS TUITIENSIS

2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36521
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nuptialem. At ille obmutuit. Tunc rex dixit ministris.
Ligatis manibus eius et pedibus eius. mittite eum in tenebras
exteriores. Quorsum tendis anima. Cur modo hec ingere-
ris. Times ne quod uestem non habeas nuptialem. Et quidem si
de caritate agitur. quod ipsa sit uestis nuptialis. tu ad
istas nuptias. ad istarum nuptiarum laudes decantan-
das sine caritate non intrasti. Ipsa mater nuptiarum conscia tibi
sit et testis. quod sine huiusmodi ueste non accesseris. cui
quondam tecum ut uidebatur colloquenti. dum sermonem cum
illa conferres de sacris mysteriis. de gloria sancte et indiuidue
trinitatis. et dicenti. quomodo tu loqui audes de huiusmodi.
erat autem hec eius percunctatio facie serena et uultu hila-
ri. ita respondisti. Ego beatam trinitatem diligo. et inde
certissime scio quod de illa loquens numquam extra ueritatem
aberrabo. Neque tristis es anima mea. neque conturbes me. sed spera
in deo. quoniam adhuc confitebor illi. non aberrando quod esset
pene in tenebras exteriores mitti. et sequentem spon-
si uocem cum gaudio audi. Ortus conclusus es dei genitrix. s
ortus conclusus. fons signatus. Emissiones tue paradysus ss
malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cyprus cum nardo. ss
nardus et crocus. fistula et cynamomum. cum uniuersis ss
lignis lybani. myrra et aloe cum omnibus primis ungu- ss
entis. Fons ortorum puteus aquarum uiuentium. que flu- ss
unt impetu de lybano. Ecce nouus paradysus. no- ss
ue plantationes. quis … plantauit unde ideoque antiqui